

non solum illi, qui Deum infinitum illud bonum odio prosequuntur, sed etiam qui Deum minori amore, quam decet, prosequuntur, atque ita Deum creaturis *vel* æquiparant, *vel* posthabent.

CAP. II.

DE OBEDIENTIA ERGA DEVM.

§. 1.

**S**equitur *obedientia*, qua intelligimus *illam mentis subjectionem*, qua Deum tanquam nostrum *superiorem respicimus*, eidemque *voluntatem nostram ac omnes nostras inclinationes prompte submittimus*.

§. 2. Ut autem Deo summam exhibeamus obedientiam, exigit ipsius *absolutum nobis imperandi jus*, utpote cui arctissima parendi obligatio in nobis respondere debet. Accedit *amor* in præcedente præcepto *injunctus*, vi cuius *personæ amatae in omnibus placere*, & *secundum ipsius voluntatem actiones nostras instituere oportet*.

§. 3. Atque hæc obedientia est fundamentum omnium nostrorum officiorum erga Deum, nos ipsos & alios homines, ex quo fluit,

(1) *quod amor concupiscentiæ erga Deum sit vanus & irritus sine obedientia*, stulte enim quis gloriatur, se Deum amare, qui voluntatem suam divinæ voluntati subijcere detractat.

(2) *quod sine amore obedientiæ internus & externus Dei cultus sit inanis & hypocriticus*.

§. 4.